



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Admonitio Stephani Balvzii de libro sequenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

A D M O N I T I O
S T E P H A N I B A L V Z I I
de libro sequenti.

EDITVRVS rursum librum septimum dissertationum de concordia sacerdotij & imperij, in quo agitur de judiciis canonicis Episcoporum, putavi in antecessum pramittenda esse aliquot insignia loca veterum scriptorum, ex quibus constabit materiam hanc esse difficilem, quod nemo audeat accusare majorem, cum manifesta crimina in Episcopo vix accipiant fidem, & quia si convictus fuerit Episcopus, non punitur. Hinc enim fit ut Episcoporum peccata interdum maneant impunita, tum etiam quia non convenit inter omnes quamvis jurisdictio sit competens ad ea castiganda.

Ex libello Precum Marcellini & Faustini Presbyterorum pag. 37.

SED Clementinus, licet non esset Christianus, tamen exhibens reverentiam nomini episcopatus, in eo maxime homine quem videbat rationabiliter & fideliter obtinere, respondit Osio, Non audeo, inquit, Episcopum in exilium mittere quandiu in Episcopi nomine perseverat.

Sanctus Hieronymus in caput octavum Ecclesiasticum.

POSSUMUS hoc testimonium accipere adversus Episcopos, qui acceperunt in Ecclesia potestatem, & scandalizant eos magis quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia, & beati in his quae non probabiliter fecerant publice sive a successoribus sive a populis praedicantur. Et hoc itaque vanum est, quia non ut egerunt sic audiunt, nec statim corripuntur in peccato suo. Nemo quippe audeat accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in praecipuis Domini ambulantes augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur. Et si convictus fuerit, non punitur.

Cassiodorus Senator lib. 1. Var. epist. 1x.

MANIFESTA crimina in Episcopo vix accipiunt fidem.

Sanctus Gregorius in libro 1. de cura pastorali cap. 11.

NEMO quippe amplius in Ecclesia nocet quam qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere praesumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

